

per ipsum promissa, alioquin ipse per se et de suo proprio adtendet et obseruabit supradicta, ut dictum est, sub pena et obligatione predictis, asserens et confitens se tantum habere de bonis dicti Filioli quod bene sufficiunt ad satisfactionem et obseruationem omnium predictorum. Actum Spaleti in platea sancti Laurentii, presentibus Thomasso Alberti, Bualdo Johannis, Perassa Gaurani et aliis quam pluribus testibus, et Balcio Petri examinatore.

XX

1359, 7 aprile.

IV, III, 27/39.

In dei nomine amen. Anno a natiuitate eiusdem millessimo trecentesimo quinquagesimo nono, indictione duodecima. Regnante domino nostro domino Lodouico dei gratia serenissimo rege Hungarie, temporibus reuerendi patris domini Hugolini eadem gratia archiepiscopi Spalatensis, egregiorumque uirorum dominorum Çucii Buchamaioris, Theodosii Leonis et Domaldi Nicole consulum, atque nobilium uirorum dominorum Gregorii Petri, Stephani Miche et Nicole Petri Nicole iudicum ciuitatis Spaleti.

Die predicto (7 aprile). Ser Çutius de Buchamaioris et ser Theodosius Leonis duo ex consulibus, atque ser Gregorius Petri et ser Stephanus Miche duo ex iudicibus supradictis, ex auctoritate eis concessa per generale consilium ciuitatis Spaleti, uice et nomine comunis et hominum dicte ciuitatis ex una parte, et Georgius cimator filius quondam ser Pauli Bernardi de Veneciis, nunc habitator et salariatus Spaleti ex altera, ad talem conuentionem ad inuicem deuenerunt, uidelicet quod dictus Georgius teneatur et debeat stare et habitare in ciuitate Spaleti perseueranter et seruire omnibus tam ciuibus quam forensibus de arte sua cimare uolentibus hinc ad unum annum proxime uenturum, recipiendo ab omnibus ciuibus et habitatoribus ciuitatis Spaleti pro quolibet brachio panni cimando semel tantum sex venetos paruos, si uero ipsum pannum duabus uicibus cimauit habere debeat pro quolibet brachio octo venetos paruos, a forensibus autem habere debeat pro quolibet brachio tam si eum cimauerit semel quam bis duodecim venetos paruos, hoc enim ex pacto habito inter eos, solempni stipulatione interueniente, quod per totum dictum annum, nullus alius cimator exercere possit artem cimarie in ciuitate Spaleti absque expressa uoluntate Georgii supradicti. Dicti autem consules et iudices nomine quo supra ex auctoritate supradicta, promiserunt et se obligauerunt dare et soluere eidem Georgio pro suo salario pro dicto anno soldos decem venetorum grossorum et domum siue stationem ad exercendum dictam artem, quos quidem soldos decem grossorum dare et soluere teneantur eidem pro dicto suo salario